

Apostolos, si recusarent, & ad arenam vel cathedram vocarentur, summam rerum, qua laborarent, ignorantiam hic prodituros esse, ut pote qui ne prima quidem fundamenta sibi familiaria reddidissent. Atque sic praecipuum corruptae Theoriae judicium esse, quod ad scholasticarum subtilitatum decempedam hic omnia redacta sint. p. 336.
Ita quoque p. 392. scribitur : Cur non sufficerit, quod Christus idem Deus & homo sit omnipraesens, omnipotens, omniscius, passus, mortuus : Quid opus est de naturis in abstracto longam, inutilemque & acerbam litem neglectere? Et porro : Cum ex utraque parte Scripturam S. pro regula fidei agnoscamus, quidni ad simplicitatem Biblicalam, quae de communicatione in abstracto vel concreto nihil commemorat, hic refugiamus, omnesque eas Phrases una eademque Spongia deleamus, quae in divinioribus literis haud extant? Alibi terminos abstracti & concreti una cum aliis in hac doctrina receptis cum Faunis & Satyris ac spectris comparat, inter quos sit docenti & discenti procedendum, p. 399. Alibi amare se profitetur veritatem masculam, solidam, perspicuitatis & simplicitatis laude ubique circumfusam, non fictam illam, quae argutiis metaphysicis, quae spectris scholasticis, quae larvis transcendentalibus constet & absolvatur, p. 414.

§. II. Enimvero usus Terminorum longe major est, quam ut post tot secula & exempla probata Scripturae, Patrum & Theologorum, nec non experimenta felicia in Ecclesia Dei contra heterodoxos improbari possit. Adhibebunt Doctores omnis aevi, in hoc praecipue negotio, abstractionem, quam metaphysicam in sufficienter nominat, quia etsi illa, quae in praesenti articulo adhibetur, ad analogiam illius disciplinae fiat, majus tamen & eminentius habet objectum, adeoque etiam eminentiorem & singularem abstrahendi modum requirit, quod docent propositiones in hoc mysterio variae, quae ad communem paronymicarum & abstractivarum classem referri nequeunt, sed prorsus sunt singulares. Non vero se fatis dilucide explicat Allocutor, utrum nolit ferre terminum solam